



Z c
6529

QK.259.36.
**REI SCHOLASTICAE
CONSILIARIUS IDONEVS,
B. IOANNES MATTHAEVS
MEYFARTVS,**

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI

olim alumnus solertissimus,

post longum deinde rei sacrae, & scholasticae usum
rectiorum institutorum autor,

incipiente iustratione anno xxiii. vii. Kal. Augosti,
in auditorio CLASSIS I. hora VII. ante meridiem,

celebrandus publicis sermonibus

**IOANNIS FRIDERICI CHRISTOPHORI ERNE-
STI, TENSTADIENSIS,**

IOANNIS TOBIAE HEY, CRAVELensis,

GOTHOFREDI CHRISTOPHORI SOMMER,

LONGOSALISSANI :

quorum quisque pro captu, & marte suo certa B. viri
merita repraesentabit,

primus

de re litteraria,

alter

de pietate populari,
postremus

de veritate euangelica inter hostes profitenda,
tuenda, & ornanda:

ad hoc producti a

RECTORE ILLVSTRIS GYMNASII,

GOTHOFREDO VOCKERODT.

P. P. LITTERIS REYHERIANIS, VII. KAL. AVGUSTI.



REIN

REIN

FRONTIUS

FRONTIUS

FRONTIUS

FRONTIUS

FRONTIUS

FRONTIUS

177

FRONTIUS

REIN





I. B. Meyfarti ortus, & studiorum curricula: II. animus in Gothanam scholam, & eius nutritorem, PIVM ERNESTVM: III. impensa opera in conciliando sibi B. Reybero, cum edendus esset scriptus de barbarie academicæ commentarius: IV. excusata Latine scribendi ratio; & laudata instituta scholaistica reliqua: V. laudata fides in fungendo munere theologi.

I.

Dignus ERNESTINAE pietatis administer, & eruditioris scholaisticae disciplinae autor futurus, B. IOANNES MATTHAEVS MEYFARTVS, natus est clo Io xc. NOVEMBRIS IX. in futura tunc ditione B. PRINCIPIS, ERNESTI PII, patre Michaele, sacrorum Walwinckeliorum, & Haynenium antistite, & matre Catharina, Ioannis Fidleri, senatoris Ienensis, filia, adoleuit in Gothana pietatis, & litterarum officina, confirmatusque est discendo, docendoque ad omnem religiosae procurationis, & rectiorum institutorum, sacrorum, & litterariorum, usum, ac consilii modum, quo pio PRINCIPI ante fata posset prodesse, idque in materna patria, Iena, Wittebergae, & Coburgi, vbi ILLVSTRE LYCEVM CASIMRIANVM solerteria sua, piestate, & in tñendis rectioribus studiis constanza mirifice illustravit,

uit, antequam in specula vicina, Erfurtensum academia, pro temporum illorum iniuria mira fortunae varietate iactata, constitutus, recte consulendi rei litterariae, & sacrae locum natus erat, & curriculum opportunum.

II. Tanquam non gratus satis esset Gothanae scholae alumnus, nisi huius nutritorem, quem rectiora, & sanctiora spectantem deprehendit, ad horum studium impensius quous modo prouocaret, in bono proposito confirmaret, & ceu veteranus corrupti moris osor, profligatorque mature demonstraret, quo conuertere ILLE posset, & commode expedire munera patria conatum, & principalis autoritatis vim, pro strena **PIO ERNESTO** obtulit, dedicauitque, quem de corruptelis euangelicarum academiarum, & litteratorum barbarie scriperat commentarium, opus multorum annorum, & quod perfectum etiam, ex Horatii praescripto, in nonum annum se pressisse poterat affirmare, Neque enim tantas molis, & periculosa plenum opus aleae praecipi ausu tentandum, nec vulgandum ante erat, quam contingeret sancti, sincerique propositi, aestimator, & propugnator idoneus, qui in perficiendis destinatis non magis segnis esset, quam ipse fuisset in concipiendis, & publicandis. Talis ipsi visus est **PIVS ERNESTVS**, quem dum compellat in limine, ad detergendam ab euangelica ecclesia labem, & comparandos, riteque praeparandos sacrorum, & ciuilium munerum idoneos procuratores, Nebucadnezaris excitat exemplo, Aspena administro circumspicientis talia imperii praesidia, & publicae salutis custodes, incitatque ad aemulandum virtute, factisque clarum Poloniarum regem, Stephanum, & exprimendum omne PRINCIPALI fastigio dignae laudis opus.

III. Ne decessent sancti propositi adiutores, & emendanda rei scholasticae administris quasi domestici, conciliare sibi, & ad usus suos adiungere non destitit florentem tunc laborum scholasticorum successibus apud Schleusingenses B. Andream Reyherum, antequam scire posset, fore, vt illum ipsum ludum regebet litterarium, cui primam bonae mentis culturam, & pueritiae instituta debuit BEATVS; nisi ipse **PIO PRINCIPI** autor, & suafor fuit huius viri ad regiae sedis iuuentutem instituendam euocandi, & intercedendi, quo minus amplecteretur lauiores conditions, quibus ob ingenii, & laudis scholasticae famam alibi, maxime a Luneburgensis, expetebatur. Certe vt B. Reyherum litterariae barbarici, cui bellum indixerat, oppugnatorem efficeret, nihil omisit, quod ad rem pertinere illi videretur. Loquuntur id ipsius manuscriptarum ad B. Reyherum epistolarum exempla, quae possideo, plurima: vnde facile apparet, quanto studio in hanc arcam illum pertraxerit B. Meyfartus? Apud Schleu-

Schleusingenes ideo videtur typis exscribi voluisse oppositum barbaris institutis commentarium, & tam solcite expetissè ultimam ad emendandas operas typographicas B. Reyheri manum. Ut veteranus litterator, & theologus religiosum, & legitimum commendaret, persuaderetque agendi modum Iudmagistro nouitio, non vna ratione rem est aggressus. Inductum, detentumque in emendando opere, salutarium monitorum, consiliorumque pleno, dum immorandum ei esset pie cogitatis, destinatisque, facile credidit adduci potuisse ad detestandas & profligandas secum corruptelas, & asserenda, vrgendaque studia rectiora, & publicis moribus contraria. Nec aliam propter caussam laudandum publice parentandi nomine Schleusingensem sacerorum antistitem, B. Zehnerum, fatis funatum, suscepisse videtur tantae famae, dignitatisque theo ogus academicus: quod institutum ipse, ni fallor, satis prodit scriptis ad B. Reyherum c. l. loc. xxxv. ivnii xix. his verbis: *Audi rem totam! Parentatio reverendi Dn. D. Zehneri continet ideam veri theologiae studiosi. Prima occasione habeo duas orationes alias de vita Pseudostudioi theologiae tum academica, tum ecclesiastica. Res est maximi momenti, & dignissima publica luce propter horrendos mores, qui hodie academias euangelicas occupauerunt.* Ad deliniendum animum B. Reyheri, demerendamque penitus voluntatem non modo crebras ad eum scripsit ad ista negotia pertinentes litteras; sed filium etiam Reyherianis laribus, & fidei commendat, cum Erfurti non deesset erudiendi adolescentis commoda ratio. Adeo deperit tanti nominis, virtutisque theologus in bonae notae viro scholastico, tanquam desperaret prorsus, sine excitata talium virorum opera pie destinata perficere.

IV. Sunt, qui dubitant, impense adeo addictum B. Meyfartum fuisse viris, studiisque scholasticis. Ipsum integre satis, & incorrupte palmarium scholiarum opus, Latini sermonis studiis, tractasse prorsus negant, qui conuertuntur ad autoritatem, & iudicium de Meyfartiano mellifi *io oratorio*, toties typis descripto, quod in Morhofi POLYHISTORE legitur. Nec deerunt, qui in ipsius Latine scribendi ratione desiderabunt Romani sermonis integritatem, ipsumque barbarum appellabunt, dum instituit scribere aduersus barbariem. At vero quicquid est, non viri; sed temporum hoc est vitium, dominatum olim non in patria Thuringia, & Germania solum; sed apud nationes omnes. Quam cupide Italica studia: ita appellabatur vtriusque linguae, Latini, Graecique sermonis, cura impensior, & industria collocata in vetustis monumentis excutiendis, imitandisque, quae incorruptae Latinitatis formam praeseferent:

rent: recepta sunt passim, tam perfunctione paullo post tractata, & deserta sunt paullatim in ipsa Italia, ex quo post explosam scholasticam barbariem, & proscriptas ex scholis obscurorum virorum inficetias vernaculi cuique nationi sermonis cura, & cultura potior visa est, quam Latinitas; ac scholasticae rei studiosissimis viris cordi magis fuerunt certamina pro Ramo, aut pro Aristotelis, philosophi denuo illo tempore commendati, autoritate, vel nouum philosophandi genus, vel ludi scenici, aut vanae ingeniorum exercitationes, quibus, inualecente pacatis etiam temporibus vanitate, putide oppressa, & distracta est iuuentus, vt ad solida studia, & priscae eloquentiae integritatem non potuerit respicere, maxime vbi deessent consultioris culturae subsidia, eruditae vetustatis monumenta, nec praefecti essent, quorum autoritas rectiora, & solida studia satis commendare, vel liberalitas prouocare posset industriam, & beneficiis obstringere ad amaras solidiorum studiorum radices inuadendas, & degustandas. Qua in re soli pene Belgae rectius rebus suis consuluerunt, dum, vt priscae libertatis, ita & eloquentiae studiofissimos se palam ostenderunt, & magnis stipendiis prioritioris litteraturae consultos viros in suas euocarunt, & conduxerunt academias, vnde cunque cum contentis antiquitatis studii exules. Qui inter hos de Latini sermonis vitiis scribere instituerat, magnus litterator, Io. Ger. Vossius, non diskitetur, se consuetudinis depravatione ablatum subinde vitiose scribere ipsum. Nostrates qui primus edito **ANTIBARBARO** reuocare ausus est a consuetudine depravata, explosus pene est a coniuratis nouae elegantiae arbitris, & architectis nouae liuguae eruditorum: quo nomine cum praecipuo magistro, & corruptorum antesignano honestauerant damnatam olim in viris obscuris scribilinginem, quam Latinitati, & Romani sermonis rationi incorruptae impudentissime satagebant substituere. Certe non obstitit quantacunque, qua clariuit optimus vir, solidae virtutis fama, & ~~opinio~~ opinio, quae cum ante fata inter nouae regiae academie lumina conseruit, quo minus tunc tanquam insaniensis sapientiae magister publice rideretur, & doctissima instituti eius specimina, tanquam a nostris moribus aliena, damnarentur, & libellis nugarum plenis, politicae elegantiae nomine commendatis, proscriberentur. Non ergo est mirum, illa tempestate B. Meyfartum, seculi vitio abreptum, emergere haut potuisse ad emendatam Latine scribendi rationem, & religiosiorem verborum curam, vt pote πραγματικὸν ἀνδρεῖα, immersum voluendis, excutiendisque monumentis scriptorum omnis aeuī, barbarorum etiam, & scholasticorum, vnde cunque accessere posset testimonia, & praesidia aduersus barbaram eruditorum

im.



arta sunt
& pro-
ni ser-
studio-
osophi-
genus,
ne pa-
tut, vt
e, ma-
umen-
com-
ringere
Qua in
ertatis,
iis po-
academ-
nos de
ossius,
ribere
a con-
bitris,
gistro,
scuris
impun-
a cla-
e fata
m in-
s spe-
garum
ergo
haut
orum
e mo-
ynde-
orum
im-

impietatem, quam oppugnandam strenue sibi proposuerat. Et quis aequus re-
rum arbiter a theologo scholasticam posceret *axeis*? Caeterum quanta fide
fungi voluerit munere scholastico, dum id ornare cum oportuit pro officio,
& quam sedulo cauerit, ne alumnii Casimiriani pro rectis, & solidis nugas am-
plescentur, abunde demonstrant Coburgi vulgata ingenii eius monumenta,
praeter memoratum *mellificium oratorium*: ad quod perficiendam eruditii colle-
giae, Steinbruckii, operam excitauerat: *ephemerides gymnasticae*, *compendium*
geographicum, *nodus Gordius Sophistarum solutus*, *Teutonica rhetorica*, *distin-*
tiones theologicae, *oratio de caussis*, *cur ordo litterarius hodie magna apud ple-*
beios laboret inuidia, & *contemptu peno succumbat*? Cordatiiores etiam Casimi-
rianos alumnos sua industria excitatos ad coniungendam secum operam in vin-
dicandis publicis corruptelis, diserte testatur in epistola, qua vulgatas tandem
vindicias *PIO PRINCIPI, ERNESTO*, dedicat.

V. Non minorem praefert fidem in sacro fungendo munere, euocatus ad
cathedram academicam Erfurtensem, illustrandam ingenii, & doctrinae
dotibus: quarum antea publicata documenta illi suffragata erant ad tantum di-
gnitatis gradum, & occupandam speculam, in qua tunc propter magni Succo-
rum regis, Gustaui Adolphi, praesentiam, tot Germanorum, & totius Europae
oculi erant conuersi, vt summa cura, & cautione opus esset, ne quid temere, & ne
quid timide ageretur. Ut id praestare posse crederetur, efficiebant cum applausu
excepti Meyfartiani ingenii foetus theologici, *prodromus elucidarii theologici*,
ark Sionis ex immortis scripturae fundamentis exstructa, & *venerandae antiquitatis*
assensu propugnata, siue locorum theologorum succincta enarratio, *Grauerus con-*
tinuatus, *fuscitabulum clericorum*, *meletemata theologica*, *Antibecanus*, *tuba*
nouissima, *tuba poenitentiae*. Ita non temere clarebat inter pios, & eruditos theolo-
gos Meyfarianum nomen, quo usque euangelicae veritatis cura esset, honosque.
Eum adeo non inquinauit vlla doctrinae, aut vitae labe, vt, qui offensi yiri celebri-
tate, & gratia, qua florebat apud populum, eius famam lacerare ausi erant, eius pa-
tientia vieti, mitigatique virtutem eius, & autoritatem venerarentur, & post fata
palam, & ad inuidiam B. Elsnero, qui decadenti succellerat, confilandam iacta-
rent Vrgebant aspera bellis tempora, & publicae calamitates creberrimae, & cumu-
latae Erfurtensem plebem, & decuriones, florentissimae Germaniae semper ciui-
tatis senatum, populumque, vt patientes euangelicae veritati praeberent aures,
eui antea subinde obtrectatum erat; maxime cum eam professi ipsi non labis ex-
pertes spectarentur. Tanto magis Meyfarianae sapientiae, & virtutis integri-
tas

tas solatio erat afflictis, pertaesis suae vitiositatis, pacatis, vt solet, temporibus contracta, & cupide non admittentibus solum; sed studiosissime, & certatim quasi expertentibus tempestiuua a nouo vexatae ciuitatis lumine, Meyfarto suo, remedia, coniungentibusque consilia de publicis patriae malis mitigandis saltem, si tolli per temporum iniuriam non possent. Nam malis artibus collegisse tantam gratiam, & fiduciam popularem virum optimum, & temere oppugnatum ab inuidis, ad usum pietatis popularis edita scripta docent, *Sodoma infernalis*, *Hierosolyma coelestis*, *iudicium extremum*, hymnique sacri. Nec placere voluisse virum cor datum litteratoribus profanis, loquuntur oppositi illorum virtositati insignes de barbarie academica commentarii, & excitatum vicini **P II PRINCIPIS** aduersus publicas corruptelas studium. Non igitur est mirandum, operam eius gratam fuisse potentissimo regi, hospiti, cui fatis functo in S. Seueri basilica parentauit, **PIO ERNESTO**, senatu, populoque Erfurtensi; & liuorem post fata quieuisse. Plura, quae ad illustrandam B. viri memoriam, & merita pertinere videbuntur, tabula non capit; supplebit tamen non contemnda declamatorum, paternarum virtutum aemulorum, ingenii, proposito, & studiorum successibus inter veteranos **SELECTAE** classis alumnos praecipue spectatorum iuuenum industria, qui ex suppeditatis illis vulgatis, scriptisque monimentis suo iudicio delecta, quae illustri auditorio grata fore putarent, in propatulo sunt exposituri. Quorum pia studia ut probent, & panegyrici sua praesentia ornent, AVDITORES omnium ordinum honoratissimi obseruantissime rogantur.

F I N I S.

ZC-6529 AK



us con-
uasi ex-
ia, con-
olli per
ratiam,
dis, ad
na coe-
n cor-
ngnes de
IS ad-
m eius
basilica
m post
a per-
da de-
udio-
ctato-
amen-
patulo
ntia

ULB Halle

004 586 336

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AK. 259. 36.
**REI SCHOLASTICAE
 CONSILIARIUS IDONEVS,
 B. IOANNES MATTHAEVS
 MEYFARTVS,**
 ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
olim alumnus solerissimus,
 post longum deinde rei sacrae, & scholasticae usum
 rectiorum institutorum autor,
 incipiente lustratione anno 1555 xxiii. vii. Kal. Augsti,
 in auditorio CLASSIS I. hora VII. ante meridiem,
 celebrandus publicis sermonibus
JOANNIS FRIDERICI CHRISTOPHORI ERNE-
STI, TENSTADIENSIS,
JOANNIS TOBIAE HEY, CRAVELensis,
&
GOTHOFREDI CHRISTOPHORI SOMMER,
 LONGOSALISSANI :
 iorum quisque pro captu, & marte suo certa B. viri
 merita repraesentabit,
 primus
 de re litteraria,
 alter
 de pietate populari,
 postremus
 de veritate euangelica inter hostes profitenda,
 tuenda, & ornanda :
 ad hoc producti a
 RECTORE ILLVSTRIS GYMNASII,
GOTHOFREDO VOCKERODT.

P. P. LITTERIS REYHERIANIS, VII. KAL. AVGUSTI.

